

Domino fidem, non tribuit tibi infidelitatem. Aut si petit ovum, nunquid porrigit illi scorpionem? ac si dicat: Si habes in Deum spem veram, sive cogitationem sanctam in corde tuo cogitaveris, non contrarietatem, nec insidiarum calumniam a Domino pertimescas. Si ergo vos cum sitis mali, nolitis bona dare filiis vestris, quanto magis pater vester de caelo dabit vobis spiritum bonum timentibus se? Ac si dicat: si homines carnales inter bonum & malum discernitis, & non vultis ut quisque vestrum de manu vestra malum pro bono recipiat: quanto magis Deus qui cuncta condidit homini, quem ad imaginem suam fecit, fideliter sibi petenti tribuet bona? Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur? Quid hoc loco ignem nisi Spiritum sanctum intelligimus: quem Dominus in terram misit, ut urat vitia & peccata, & accendat animas per charitatem atque illuminet?

PETRI PAULI VERGERII
Justinopolitani de divo Hieronymo oratio.

SANCTISSIMUM doctorem fidei nostrae Hieronymum cujus dies solennis adest, ita mihi dari cupio recte laudare, ut in eo laudando laudem ipse meam non quaeram: Sed sit ei quemadmodum sermo, ita & mens propria intentione dedicata: quamquam quid sperandum sit laudis loquutione, non video: ubi magnitudine rerum, eloquentiae vis omnis obruitur, & excellentiae meritorum omnis impar est sermo. Me vero minime omnium sperare id convenit, ac si quid talium mentem subeat, placere desipio: qui cum obire quotannis munus hoc laudum soleo, semper tamen posteaquam id cepti, ita deinceps per annos affectus sum, ut augeri mihi desiderium sentiam, minui facultatem. Evenit autem hoc fortasse: sive quod nondum satis sint mihi vires ingenii mei perpenae, qui subire tanti oneris causam non vearear: quod quantum sit, & intellexi tantisper dudum, & indes peripicio magis: Sive quod illius merita apud plurimos quidem diligenter parum animadverta, a me vero etiam summo studio considerata, quo magis elucescunt, eo magis affectum mentis alliciunt, & a consequendi spe ingenii acumen magis magisque deterrent: Sive quod praefido desiderio meo, studioque religionis in illum, tanto mihi retardari facultas videtur ingenii, quanto praecurrit studium voluntatis.

Quarum equidem rerum, ut subesse utramque primarum non nego, ita adeste postremam magnopere mihi cupio. Nam officio quidem ille meo, aut cuiquam alterius in reddendis de se laudibus nihil indiget: ac non delectari opinor, nisi boni profectusque nostri gratia, cum per se ipse infinito proprio bono in beata illa aeternaque vita fruatur: devotione vero, cultu, religione, pietate, ac fide: cum in hunc, tum in reliquos caelites nos ipsi nostra causa indigemus. Atque in primis ego, qui meritis huius sancti gloriosi, multa magnaque saepe numero beneficia apud Deum immortalium consecutum, manifesta fide me deprehendi, & difficillimis temporibus fuisse de gravissimis periculis ejus ope atque intercessione liberatum.

Quod si antehac devotionis ullum studium a me debebatur, multo certe nunc amplius adhibendum est mihi, ut parentis nuperrime diem functi (qui erat devotissimus tibi sancte pater Hieronymus) vicem hic referam, cuius apud te preces, mea causa; plurimum valuisse, sum crebro expertus: Ut quemadmodum praecari huius instituti, familiarisque devotionis discipulus viventis fui, ita & ei quoque defuncto sim haeres: & quod mihi patrocinium in illo erat, nunc omne sit in meipso: Quamquam eum confido tuis meritis atque precibus, praeterea quod rectus homo erat, & timens Deum, excedentem ex hac luce in ea loca deductum, ubi a te, & per te multo facilius consequi quidvis possit.

Quod igitur ad me attinet: quemadmodum devotio animi, & servanda, & augmentanda est: ita munus hoc annum reddendarum laudum, nullatenus negligendum, in quo qualiscumque sit sermo, dum mens sit integra, ac penitus illi devota, non magnificandum arbitror, quod in eum magis esse gratus cupio quam disertus. Nec me fallit, eum qui laudare quempiam ex illustribus accedat, maxime vero quod ad rem divinam attineat, debere & ipsum quoque laude

dignum esse, labéque omni carere, ne dicentis vitam reprehendat oratio, verbisque speciosis mores fordidi fidem abrogent. Quod ut in me non sit, boni tamen piique ingenii solet esse argumentum, laudare studiosè virtutem, & rebus sacris cultum adhibere praecipuum. Quod si ex me quispiam quaerat, quam huius sancti gloriosi primam potissimamque laudem existimem, hanc scilicet incunctanter respondebo, quod meo quidem iudicio non possit dignè humano ore laudari: deinde quod in unoquoque genere laudum earum, quae ad doctum rectumque hominem, ac plane religiosissimum Christianum pertinent, laudari eximè de singulis potest. Quod si jam in eo laudando ceperero literarum peritiam commemorare, diversarum experientiam linguarum, orationis facundiam, rectos fabularum sensus, multam historiarum memoriam, naturalium rerum cognitionem, moraliumque sermonum: tum vero et scripturae sacrae, veraeque Theologiae perceptionem, non videbor forsitan aliquid magnum dicere, quod haec ipsa malis etiam hominibus possint advenire: neque enim ista bonos faciunt, sed eruditos. Aut si praeterea continentiam, fortitudinem, prudentiam, constantiam, mansuetudinem, patientiam, benignitatemque in illius laudibus recognovero: nec sic quidem forsitan magnopere cum ornare iudicabor, quod & his virtutibus plurimum gentiliū praediti fuerunt: suntque haec laudes ut debite quidem viro bono, ita plane non propriae homini Christiano.

Postremo si fidem constantem, spem certam, charitatem intensam, omnemque sanctimoniam, & ceremoniarum cultum religionisque studium demonstravero: nec sic quoque fortassis laus erit eximia, quod haec ipsa debet uniusquisque de se rectus fidelisque Christianus exhibere. At vero, si haec omnia, & quaecumque his nominibus, aut omnino virtutis nomine continentur, in eo fuisse universa confester, eaque ipsa non mediocriter, aut vulgari quodam summatenus modo, sed excellentissimè atque incomparabiliter affuisse confester: nonne hoc divinum quiddam in homine videri necesse est? Ego sanè cum trita ista vulgo vocabula, eruditionem, eloquentiam, fortitudinem, prudentiam, fidem ac charitatem, & caetera huiusmodi, commemoro, talia quaedam dicere mihi video, qualia solent in communi hominum vita reperiri, & non eminentissimas illas virtutes, quas in excellentissimis viris, paucis illis quidem omni aetate fuisse constat.

Quamobrem aegrè ferre soleo, & Latinae orationi indignari, quod propriis atque exquisitis nominibus, exquisitissimas laudes efferre non licet: quae tantum penè a communibus virtutibus, quantum ferme virtus a vitio. Verum quod orationi deest, oro suppleat audientis intellectus: & non quod dicam, sed quod dicere velim accipiat. Quod & hinc quoque licebit intelligere: nam solent pauca horum aut singula quaedam, dum intenso gradu cupiam adsunt, magnam virum constituere, admirabilisque excellentiae eum videri, qui plura ex his sit assequutus. Quid ergo is debet existimari, qui omnium virtutum cunctarumque bonarum artium cumulum non perfectorie, sed ad summum in se collegisset: cujus vita, totius sanctitatis exemplum, eloquentia, stupor, doctrina, miraculum. Itaque non tam sanctum nomen habuit, quod quidem ipsum denotat Hieronymi vocabulum, quam ipsam in se habuit sanctitatem. Nam cum duabus rebus fundata est in initio sacra religio, praedicatione scilicet Apostolorum, & sanguine martyrum: cum quod illi sermone docebant, hi per carceres & tormenta, ac denique mortem ipsam astruerent, in utrorumque locum suo gradu subierunt sancti doctores: qui quod illi compendiosè docuerant, latius explicarent: quodque martyres sanguine suo testati sunt, hoc isti sanctimoniam vitae confirmarent, atque adversus omnem haeresein, omnemque vitiorum labem, pro fide iustitiaeque consisterent: iidem & militum vices gererent & ductorum.

Multa autem variaque Hieronymus, uti fortis miles, in hac vita bella sustinuit: cum mundo quippe bellum gessit & vicit, quando sacerdos jam factus, & summo sacerdotio dignus habitus, ab urbe cessit, pompisque saeculi & omni ambitioni mundanorum honorum renuntiavit, cum carne ac demonibus: cum in illa trans mare vasta solitudine, quae ut ipse ait, exusta solis ardoribus, horridum monachis habitaculum praestabat: carnem quidem jejuniis frangeret, spirituales autem hostes orationibus effugaret: cum improbis atque aemulis, in quos saepe per prologos, saepe per Epistolam

las scribendo invecus est: cum haereticis, quos libris tractatibusque scribendis saepe numero de diversis convicit erroribus, disputandoque vi rationum superavit. Doctoris ergo nomen ut habet: ita & officium studiosissimè vivens gessit: praesentes voce & exemplis erudiens: absentes scriptis. Utroque vero tam suae aetatis quam posteros, voluminibus diversis idiomatis, varia interpretatione linguarum vivorum doctorum eruditionem adjuvans: radios historiae delectans: acutiore inlustrans arcanae sacrae Scripturae sensibus explicandis.

Eloquentiam certe jam ejus laudare tentarem: quae tanquam rivus limpidissimus leviter defluens, & aspectu & sonno delectat: nisi ipse se multo melius quam à me fieri possit, elegantia sua legentibus commendaret: ad quam dignè praedicandam, ejus ipsius eloquentia opus esset. Nec me deterret: quod damnatus fuerit ejus studii aliquando Hieronymus, cum extatica visione tractus ad iudicis aeterni tribunal, & quinam esset interrogatus: pro Christiani nomine, quod inter metum trepidationemque profitebatur, Ciceroniani sibi nomen objici audivit: Neque enim res ipsa damnata est, sed fortassis ejus studium vehementius: sine qua profectò vix sacrae literae, certe non tanta cum voluptate legerentur.

Haec igitur ut caeterae quoque dotes quas strictim commemoravi: multos acerbissimosque illi aemulos comparavero: quorum ut improbitati cederet, Roma migravit: & qui doctor late clarissimus habebatur, Gregorio Nazianzeno in disciplinam se tradidit. Postque studia, cum de frequentissima urbe cessisset: ad eremum se transtulit: & qui in urbe omnium urbanissima homines perperis erat bestiales, in desertissima eremo bestias est expertus humanas. Ibi que leo natura savissimus imperium ejus petulit, cum hic homo natura mitis in se saeviret. Roma igitur Bethlehem permutavit: divitumque ex urbe non tam pulvis quam cadens: elegit ibi pauper vivere, ubi pauper Christus est natus: & inde salutem petere, unde ortus est auctor ipse salutis. Quid enim adversus malignitatem tutum uspiam esse poterit: quando tanta virtus persecutore non caruit? Quod si quid nobis tale accidit: est ejus casu consolari nos ipsos debemus. In terea vero maledicos beneficiando vincere: & eorum in nos odium virtute patientiae mansuetudinisque superare: illo praesente qui vivit & regnat in saecula saeculorum.

Secunda seriei hujus Tomi finis.

ERASMUS ROTERODAMUS
divinarum studiosus literarum S. D.

HAUD me fallit optime lector, in prima hujus Tomi serie quaedam a nobis esse relicta, quae & stultitiam & balbutium respiciant ejusdem impostoris, cujus nianias in hunc extremum hujus voluminis locum, velut sentinam rejecimus: nullo alioqui dignas loco, nisi quemadmodum antè sum testatus, humanis ac modestius esse duxissem, in hanc peccare partem: ut quaedam residere pateremur, quae merebantur abjici, quam ut quicquam loco moveremus, aliquo modo lectu dignum, ut videlicet aequos imitati iudices, qui propensiores esse solent ad absolvendum, quam ad dammandum: Sive quod humanus est liberare periculo nocentem, quam infontem perdere. Sive quod praeter meritum absolutus, rursus in jus vocari potest, ac penas dare legibus: Cum nos perinde commode succurri possit praeter aequum damnato. Quamquam & illic censuris additis opinionem nostram verum quam sententiam indicavimus.

Caeterum hac in parte nihil omnino reperies, non dicam, quod Hieronymi dignitati respondeat, sed aliqua ex parte dignum, in quo bonarum horarum ullam portionem collocent, qui vel pietatis studio, vel bonarum literarum amore ducuntur. Verum hoc datum est quorundam imperitorum invecus pertinaciam, qui quicquid semel infedit animo, nunquam patiuntur revelli, stupidiore quam ut ipsi rectè iudicare queant, & iidem praefractiores, quam ut alienae sententiae velint accedere: quod quidem hominum genus, omnium extremum ac prorsus inutile merito iudicavit Hesiodus.

Ego sanè quoties ineptissimas hominis ineptias, & nu-

gacissimas nugae mecum expendo: parum liquet utrum potius debeam admirari, hujus ne scriptoris, quisquis fuit, impudentissimam insaniam, qui fato quodam natus ad perendos bonos auctores, omnes vires, totum otium, imò totius vitae studium, in hoc unum contulisse videtur, ut insignium virorum eruditissimas lucubraciones, infulsissimis blateramentis contaminaret: an nostram magis oscitantiam, vel ut verius dicam stuporem, qui jam saeculis aliquot Hieronymi nomine, viri doctrina, facundia, sanctimonia prorsus incomparabilis, legamus obscuri nebulonis nugas: in quibus nec ulla sententiarum gravitas, neque verborum cultus, nec lepos, nec arguta, nec eruditio, nec ullum denique sanae mentis vestigium: sed temerè utcumque in buccam venerunt effusa verborum volumina, rerum nullus delectus, solacium, ac sordidissimis verbis & nuper in culina natis undique referta omnia: Exclamationes insanè subitaeque quas sic adhibet, ut prorsus intelligas histrionem perfonatum agere, non gravem & sanctum virum ex animo loqui. Ita scilicet nobis hic rethor Hieronymus refert epiphonemata. Quid multis? Sic notis omnibus discrepat ab Hieronymo, ut non sit facilius suam ab homine dignoscere, nisi si quis sit omni fere stolidior. Et tamen haec, & rem pudendam, Hieronymi titulum occupant.

Verum ea res hinc evenit, quod bona pars hominum iudicio careat. Quid enim de tam excellentis viri monumentis iudicent ii, qui linguarum omnium imperiti, ignari antiquitatis, in nullo scripti genere exercitati, in nullis honorum autorum libris versati, praeter sophisticas ineptias nihil unquam didicerunt? Nonnulli rursus dum impendiò candidi videri student, dum inhumanum iudicant quicquam omnino reprehendere, dum quicquid semel chartis illitum fuerit, id nefas esse ducunt ullo pacto convellere, rabularum ineptias, pro doctissimorum hominum egregiis monumentis amplectuntur: & alba, quod aiunt, amussi legunt omnia. Quare fiat necesse est, ut dum intemptiva modestia, flagris etiam aut piltrino dignum nebulonem, ledere verentur, in summos viros existant contumeliosos, nimirum quos illis aequant, ut hic optimo jure possit illo versu Homericò stomachari, *οὐδ' ἴσθηται νεοὶ κενὸν ἔργον ἄνδρα*.

Sunt alii qui sedulo quidem illi, sed parum prudenter Hieronymi gloriae faventes, ipsi sibi scientes dataque opera occcludunt oculos, ut quod cernunt non videant, quod audiunt non audiant, quod manibus tangunt non sentiant: neque quicquam putant interesse, cujus ore, quae ratione laudetur aliquis, modo laudetur, cum Alexander ille Macedonum rex non à quovis artifice vel fingi voluerit vel pingi. Tum à quibusdam laudari, vituperari est, ut verè scripsit Seneca. Nec usque adeo gloria inops est sanctissimus Hieronymus, ut indocti blateronis mendacis debuerit commendari.

Sunt rursus quibus non omnino deest iudicium, sed vix est credibile quantum valeat imaginatio persuasioque si prior animum occupavit: idque non solum in vulgo, verum etiam in eruditissimis magnique iudicii viris. Sic quotidie falluntur oculi, sic populi totius aures olim Parmenonis suam requirebant, quae quidem res & in proverbium deinde cessit. Non pigebit fabulas aliquot hoc referre loco, quo magis quod dico fiat perspicuum. Fuit olim juveni mihi cum Petro Santeramo Siculo, homine non minus festivo quam erudito, familiaritas, in aedibus inclyti viri Henrici vulgari cognomento de Bergis, Episcopi Cameracensis. Is, uti referebat, cum Parisius ageret, ludens huiusmodi scripserat Epigramma, veluti *ἄνθρωπος* referens: Tempora fatalis quoniam sic limitis itis, Tristia concentu funera color olor. Affinexerat titulum: Cygnus moriens pro specu. Sub id adhibuit scribendi pulchre peritum artificem, qui distichon hoc quammaximè posset ad imitationem antiquitatis pingere, literis aliquot data opera relictis mutilis, ceu jam oblitteratis vetustate. Carmen adornatum exhibuit Fausto Andreliño, qui multos jam annos illic poeticeo proficitur. Addidit eam schedulam inter vetustissimas antiquitatis reliquias sibi repertam fuisse, videlicet quod sciret hominem aspernatum, si dixisset nudiustertius apud se se natam. Legit iterum atque iterum Faustus, & difficile dictu, quam stupuerit quamque exosculatus sit, quam penè adoraferit doctam illam & inimitabilem antiquitatem. Nec finis nec modus admirandi antiquitatem, donec ipse Santeramus sui proditor, rem omnem in risum verteret.

Lulit olim ad consimilem modum Guilielmus Copus, immortale Basilienfis urbis ornamentum, quæ talem prodiderit herosa, imò totius nostræ Germaniæ nunquam intermorum decus, Galliarum felicitas, quæ tanto viro tot jam annos fruatur, atque utinam quam diutissime fruatur, aulæ regalis honestamentum, in qua apud regem regum omnium haud dubiè principem, principem agit medicum: imò (ut quod est illo dignius dicam) totius orbis præsidium, qui rem omnium saluberrimam, nempe medicinam, inciticia profitentium propemodum extinctam, eruditissimis suis lucubrationibus vindicat ac restituit. Is igitur, ut est non solum integritate doctrinæque singulari, verum etiam gratissima quadam morum festiuitate præditus, sed quæ bonum virum nequaquam dedecet: cum in cœna catinus appositus esset, diversi generis olerum plenus, & fortè fortuna complures simul accumberent medici, vulgo quoque notissimam herbam delegit, quam Græci petroselinon appellant, apii genus. Medicorum, inquit, est herbarum formas & vires nosse. En adsumus tot medici, dicat qui potest, quod sit huic herbarum nomen. Nemo ausus est pronunciare, quòd omnes jam teneret persuasio, rarum aliquod ac peregrinum oleris genus esse, de quo vir tantus tam sollicitè percontaretur, donec ipse problema risu solveret, & accersitam culinæ famulam, pro medicis respondere juberet: Ea nihil cunctata nomen edidit.

Jam tertiam quoque fabulam accipies, sed ἀπόρρητον, Cuiusdam apud Italos inter primos erudito, in manum dedit nescio quis, paginam à codice quopiam revulsam, sic ut nullus esset titulus qui proderet authorem. Qui tradiderat admonuit sibi videri recentioris cujuspiam scriptoris opus esse. Erat autem is ex istorum numero, qui studio favoreque vultuatis, omnia neoterica fastidiunt. Ibi protinus offensus homo spurcicia sermonis, ut tum quidem videbatur, multa convicia congeffit in barbarum scriptorem, qui tam indoctis nugis miseris perdidisset chartas. Nec modus aut finis irridendi, donec alter ostenderet, id quod tantopere damnasset, fragmentum esse Ciceronis. Agnovit admonitus, & risit homo doctus tantam ex imaginatione delirationem. Tantum valet in eruditis quoque præsumpta persuasio, nec alia res in iudicando magis vel avertit, vel admittit oculos. Quo minus mirandum, si nobis idem usu veniat in Hieronymo. Videmus in singulis paginis a scriptum Hieronymi titulum: videmus admixta his, quæ citra controversiam Hieronymi sunt. Audimus hæc passim citari, legi, cani Hieronymi nomine. Cum hac persuasione ad legendum accedimus.

Verùm qui vel leviter admonitus fuerit, statim animadvertet errorem suum, jamque velut experrectus, quasi subito redditis oculis, tam profundam hallucinationem suam ipse demirabitur. At illud magis & stomachor & admiror, quid tandem in mentem venerit, si quid omnino mentis habuit impostor ille, ut non unam aut alteram Epistolam, sed ingentia multaque volumina, titulis alienis proderet in vulgus. Nec enim hunc lusum ludit dantaxat in Hieronymo, verum ejusdem artificis sunt illæ Augustini nomine hominæ ad fratres Eremitas: & alia rursus, quas inscriptis de tempore, pauculis aliquot exceptis. Has calus ne admiscuerit incertum est, an (quod magis arbitror) illius ars: hoc nimirum ingenio, quo mentientes assolent, ut magis fallant, veri nonnihil admiscere falsis. Quod & apud Maronem facit Græculus ille Sino. Ejusdem est oratio Ambrosii Mediolanensis Episcopi nomine, qua Christianæ plebi baptizatum Augustinum gratulatur.

Nec his contentus, mediis enarrationibus, quas divus Hieronymus in Prophetas & in Psalmos edidit, suas ineptias intermiscuit, id quod aliis locis aliquot nominatim proditis, docebimus. Nam eumdem fuisse cuculum, vox ipsa palam arguit. An ita putandum est inter tam innumera insanæ generis, quibus humanum laborat genus, hunc illius fuisse morbum, ut felicem sese crederet, si consequi potuisset, ut orbe decepto, nebulonis ineptiæ, tantorum virorum titulis celebrarentur (sunt enim quidam sic ad imposturam nati, ut vel gratis, imò suo quoque malo gaudeant fallere: tanta est imponendi libido) ipse interim legendum errore fruere, atque hanc voluptatem tot laboribus bene putaret emptam? An magis conjiendum est fuisse, qui suis scriptis sacros illos doctores voluerit illustrare, simulque pietati consulere, atque id quò facilius assequeretur, gratiosi nominis titulum prætexuisse? Verùm quid aliud est, si hoc non est maculam

& labem aspergere viris suapte virtute clarissimis: si quis tam insulas ineptias illorum titulis traducat: Deinde cum quæ præcipit, ejus sint generis, ut eadem à quavis muliercula dici possint: quorsum opus erat tam insignium commendatione nominum? Si nova & paradoxa prodidisset, quæ tamen ad pietatis studium magnopere conducere (tametsi mea quidem sententia nec mendacis ornandi sint sancti, nec mendacio commendanda pietas) tamen fortasse tolerari poterat fucus, quo & veteres illos Christianos sæpius usos fuisse constat, qui juxta Platonis & Origenis opinionem, mendacium non improbabant, quod ad magnam aliquam reipublicæ utilitatem adhiberetur.

Sed adferam ipse meam conjecturam, & quod vero proximum esse videtur simpliciter eloquar, hac lege, ut nihilo secius liberum sit suum cuique super hac re iudicium. Apparet fuisse quempiam ex hoc hominum genere, quos vulgus partim Augustinenses, partim Eremitas vocat, genus hominum nuper natum. Siquidem isti instituti sui originem, quò videlicet antiquitate sit commendatus, ad Eremitas divi Augustini referri volunt, eoque pingunt Augustinum pullatum promissa barba, circumfudente grege simili cultu discipulorum. Videmus autem ante ducentos ferme annos, totam describendi libros præsertim sacros provinciam, in monachos & monachas fuisse relegatam, adeo ut hodiè quoque complures extent consecratarum virginum manu descripti, vel picti magis cogites: idque factum est, ne tam ingens hominum turba vel gratis aleretur, vel otio corrumpetur, neque rursus fordibus vulgarium opificum operis occuparetur, quod id religionis professione parum dignum videretur. Inter hos tum ferè indoctos, opinor sciolum & ardelionem fuisse quempiam, qui describendis libris nonnihil obiter arripuerit eruditionis. Nam loquacitatem indiderat ipsa natura. Eum laborasse morbo, quo videmus & hodiè teneri non paucos, mei similes, qui cum scribere nesciant, tamen à scribendo temperare non possunt.

Is partim, quo quæstus esset uberior, ex accessione semper novorum voluminum, ut quæ illi domi nascerentur: partim ut suam professionem hac arte redderet plebi commendatorem (mirum enim est dictum, quam ambitiosum sit hujusmodi rei studium in toto hoc hominum genere) videlicet laudatissimorum virorum titulis ad eam rem est abusus. Et idcirco in Hieronymi vita, quam nos in extremo hujus ordinis calce subjecimus, identidem inculcat illum Eremitam fuisse, quò tam inelytum virum suo assereret gregi. Deinde tot lepidissimas scilicet hominæ addidit, ad fratres Eremitas Augustini titulo, cum omnes ferme veterum conciones non in tractandis communibus locis, sed in exponendis divinis literis versari soleant. Postremò quod est omnium venustissimum, orationem finxit Ambrosii nomine: cujus initium est: Quod his diebus contigit fratres charissimi: in qua Christianæ gratulatur religioni, de tanti militis, nempe Augustini, accessione: miròque artificio illud agit homo suavis, ut in ipso statim baptismo divus Augustinus, nigram cucullam, & balthem coriacetum ab ipsis Ambrosii manibus sumpsisse putetur, nimirum ejus professionis insignia, ut totum etiam Augustinum suo vindicaret ordinem: eumque cingulum à Sin pliciano donatum affingit. Ad hæc de hymni vicissim decantati fabula meminit. Postremò vaticinatur futurum, ut ex Augustino multæ religionis constitutiones nascerentur: cum Ambrosii temporibus nemo religionis vocabulum in eum sensum usurparit, quo nunc vulgus utitur illiteratum. Ut ne dicam interim, quod ipsa tam diligens historia inculcatio, de disciplinis citra præceptorem perceptis, de Monicæ lachrymis, de Simpliciano, de Adeodato & Alipio, affectatè imposturæ suspicionem habet. Quemadmodum eleganter Quintilianus parietem undique palmis cruentatum, ceterasque nimirum consentientes conjecturas, in ipsam retorquet novam.

Atque hæc quidem studiose lector, tametsi mihi quidem conjectura vehementer probabilis ac propemodum certa videatur, tamen haud est animus super hac re cum quoquam digladiari. Nec enim ita magni refert, quis fuerit hujus actor fabulæ. Certè impudentissimum fuisse rabulam & sacrilegum impostorem, ipsa res indicat. In confesso est illum, qui quis fuit, hoc affectasse, ut nunc Hieronymus, nunc Augustinus, nunc Ambrosius, nunc Cyrillus, nunc Eusebius, nunc alius, atque alius videretur. Vertumnum quemdam aut Empusam Protæumque referens, & cum sit idem, alia atque alia specie nobis

nobis occurrens. Idque cum nec eloquentia possit assequi, homo infantissimus: nec eruditione, illiteratissimus: nec pectoris sanctimonia, circulator: quod erat in proclivi, fictis titulis rem agit. Hieronymum se visum ita credit, si sapiculè nominet Paulam & Eustochium: Augustinum, si plus vicies in singulis paginis iteret, fratres charissimi, quòd aliquoties his verbis ille sit usus. Sed astutus admiscet nonnihil ex historia, quod quidem facit in hominibus ad Eremitas: verum adeo coactè frigidèque, ut facile subleget mendacium, & continuo succurrat illud Ciceronis: Nisi fingeres, non sic ageres impostor.

Cæterum in regula virginum, quam scripsit jam centenarius, totas hic furcifer hebdomadas versatur inter angelorum choros; & affatim cum divina Triade confabulatus, tandem in terras devolat, jam vates factus ac futurorum præcius. Quid hæc impudentius hypocritæ? Imò quid magis impium? Nam longè alium fuisse, quam videri studet, primum ipsa prodit inciticia, deinde prodigiofermonis balbuties, plurimis & fordidissimis horum temporum vocabulis inquinati. Atque hic est certissimus index, & Lydius, quod dici solet, lapis. Nihil enim hic succulentum, nihil exactum, nihil elaboratum invenies: sed tumultuarium modo vulgarium verborum & ineptissimarum sententiarum congeriem. Jam & illud plane coarguit hominem, quòd cum plurimum interit inter Hieronymianam, Ambrosianam & Augustini dictionem, apud hunc eodem orationis filo loquuntur omnes: atque ille quidem coccyus in morem, subinde aliis atque aliis convestitus plumis sese ostentat: at tantum illum suum nativum mutare non potuit infelix, & velut histrio varia tectus persona, subinde alius nobis prodit in profcenium: sed vox semper eadem, eadem gesticulatio prodit subornatum. Nam & Cyrillus qui Græcè scripsit, apud hunc Latine loquitur, nec aliter loquitur, quam Augustinus aut Hieronymus. Nimirum declaravit fallendi studium sibi non defuisse, cum deesset facultas. Ac cætera quidem ipsa causæ præstabit æquitas.

Unum illud precibus meis lector donet velim, ne quid obstrepit nostro iudicio, ne reclamet, ne tumultu misceat omnia, priusquam attentius quæ rejecimus perlegerit. Si in his quæ divi Hieronymi titulis insigniuntur, vel unica peritodus inveniat eò viro digna, non obstitam, quò minus omnia Hieronymo transferantur. Sin totus sermo à capite, quod dici solet, usque ad calcem, sic cum omnibus Hieronymi doctibus pugnat, sic omnibus dissidet notis, ut plus conveniat homini cum camelo: quæ malum dementia est peti, ut cum summa & tanti viri, & studiosorum omnium contumelia, fictis titulis ista venditentur? Bene res habet, quòd tali animo non contigerit erudicio. Deum immortalem, quid si huic impostori vel mediocri accessisset eloquentia, si vel tantillum eruditionis & ingenii, ut qualescumque simulachrum Hieronymianæ dictionis effingere potuisset, quis ausurus erat hæc jam recepta convellere? Nunc præter titulos adeo nihil potest imitari eorum, quorum personam sumit, ut qui credat, non ab illo, sed à suo ipsius animo deceptus esse videatur.

Quot dotes præstare sunt ei qui Hieronymus velit haberi? Habet Augustinus floridum quiddam & picturatum, atque, ut ita loquar, Punicum; habet argutiam non injucundam, habet sua schemata, quibus se delectatum ipse fatetur in opere cui titulus, De doctrina Christiana. Divus Ambrosius acumen quoddam & schola declamatoria refert, tacitis ac crebris titillat allusionibus. Ex his notis tantum abest, ut quicumque poterit adumbrare noster histrio, ut nec semilitinam exhibeat orationem, ut nec cordatam, nec sanam. Et tamen homo perficiatæ frontis non dubitavit insulissimis blateramentis excellentium virorum titulos præfigere. Tantum illi addidit fiducia, mortalium vel inciticia, vel oscitantia. O sacrilegum caput, cui id tantopere studio fuit, ut sacras tantorum virorum lucubrationes suis conspurcavit ineptiis. O spem improbam, qua sibi promisit futurum, ut hæc indoctissima deliramenta, cælestium doctorum titulo circumferrentur. O lethargum nostrum, quorum oscitantia factum est, ut huic impostori tam impius conatus successerit, totque jam annis insulissimæ næniæ, excellentissimorum heroum nomine legantur citenturque.

Neque verò quisquam hæc contumeliosus à me dici putabit. Non est enim contumelia detrahare personam histroni; sed pium est, sanctissimos viros simul & studiosum lectorem

Tom. V.

ab indignissima contumelia vindicare. Non est contumelia prodere sacrilegum, sed officium est excellentium hominum famæ consulere. Non est hoc truncare Hieronymum, sed aurum plumbo vitiatum repurgare. Nec amat Hieronymum, nec intelligit Hieronymi dotes, qui nugæ ejusmodi illius legit nomine. Plusquam cæcus est, qui hæc non perspicit: plusquam impius, qui cum perspicat, ferre tamen potest.

Semper inter sacras res habita sunt eruditorum monumenta, atque hæc gratia veteres illi libros immortalitate dignos cedrina conditos capsula, in Apollinis templo reponere consueverunt. Autorum imagines in bibliothecis reponerentur, ac nunc quoque Ciceronis bibliotheca Puteolis cœu res sacra dicataque visitur. Quanto magis nobis sacras esse convenit divi Hieronymi lucubrationes, quem juxta commendat & eruditio singularis, & rara vitæ sanctimonia? Quem ita Romanus orbis summum habet theologum, ut habeat penè solum. Sacriligii genus habetur, parum reverenter attricare sanctorum reliquias, puta cingulum Annæ, aut calicem Edmondi, Georgii pectinem, aut calcem Thomæ. Hæc quoque venerabundi exosculamur, oculis admovemus.

Quantum igitur debetur religionis, tam divini viri literis: quæ nobis non pileum illius exhibent aut strophium, sed vitam & adhuc spirantem pectoris imaginem, unde Christi spiritus inhabitator ea mundo prodidit oracula? Exhibent nobis apices illi muti, quod vivum Hieronymi corpus non exhiberet. Quid enim magni sit hominis figuram intueri? Hic, hic arcanum illum mentis habitum intueor, hic mihi quod in illo fuit optimum, superest. Hic mihi totus vivit Hieronymus, docens, exhortans, consolans, ac veluti de sui pectoris igni inflammans ad pietatem. Hæc sunt verè sacrosanctæ divini confessoris reliquæ: quas illois pedibus simul ac manibus contaminare, conspurcare, adulterare, ac modis omnibus prophanare, nonne summa videatur impietas? Omnes inexpiabile facinus clamitent, si quis Sardanapali cineres, pro divi Joannis cineribus exhibeat osculandos.

At longè gravius piaculum est, nebulonis indocti næniæ, pro sanctissimi doctissimique viri monumentis in universam Ecclesiam inducere. Nam illic quidem aut nihil, aut non multum lædit error: cum affectum non factum in hisce rebus soleat imputare divina bonitas. At hic deceptus, pro salutaribus præceptis, hypocritæ somnia in animum trajicio. Nemo non summam ducat esse impietatem, si quis sancti Francisci tunicam in cœnum abjiciat, ac pedibus conculect. At quanto irreligiosius, salutares optimi viri lucubrationes, admixtis obscuro nebulonis nugamentis depravare, prophanare, corrumpere? Irenæus, Eusebius, Rufinus, cümque his alii complures, si quando volumen ederent in vulgus, per omnia sacra scriptorem obtestabantur, ne quid immutaret, ne quid adderet, ne quid prætermitteret: sed quod in exemplari reperisset, bona describeret fide.

Quodnam igitur hoc tam impium sacrilegii genus, omnes sacrosancti viri libros, utcumque libuit, truncare, augere, miscere, vitare, tollere, supponere: nec aliter in hos, quam sus solet in fegetem, debacchari? Ipse profecto qui nihil sum, non solum ad Hieronymum, verum etiam ad mediocres, tametsi haud ferendam contumeliam mihi factam putarem, si quis ejusmodi næniæ meo prodar nomine, cujusmodi impostor hic attribuit Hieronymo. Tam multa sunt principum & pontificum constitutiones de rebus penè nihili. Super hoc negotio, quo non aliud magis pertinet ad hominum vitam vel instituendam, vel corrupendam, nulla cautio, nulla exactio. nulla pœna: sed quicquid librariis libuerit, idem licere sinimus; neque secus atque medici & pharmacopœæ, quodcumque nomen herbæ dixerit ancilla quæ attulit, hoc accipiunt, & ægrotis ministrant: ita nos quocumque titulo librarii librum evulgarit, eo legimus & amplectimur. Quod quanto cum periculo fiat, vel hinc æstimet, licebit.

Comprobatus est tum omnium consensu, tum Pontificum autoritate divus Hieronymus. Proinde fieri potest, ut hujus titulo rabula quispiam pestilentes opiniones suas in vulgus distemnet. Quòd si Hieronymo refragari non licet, & illius esse censetur, quicquid hujus præfert titulum, futurum est, ut vel impius habeatur qui reclamet, vel venenum hauriat pro remedio qui legerit assentiens.

Nunc restat unus ille scrupulus eorum, qui plus operæ

C c